Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31304
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

li fastigia conscendebat. Evolutis autem diebus paucissimis cum esset ante alta-
re orationi intendens, et pro eisdem sancti viri anima defunctorum officium devote
persolvens, venit in mentis excessum. Et ecce iterum apparuit ei idem dei fa-
mulus pontificalibus infulis insigniter adornatus, qui et de terra consurgens,
recto itinere in celum ferebatur. His et huiusmodi revelationibus frater ille
premonitus, ab illo tempore consuevit de eodem beatissimo viro singularem memo-
riam agere, ipsumque inter amicos dei maximos computando specialiter honorare,
nichil omnino hesitans de eius potentissima glorificatione. In ipsis quoque diebus apparu-
it denuo per visionem idem dei famulus quasi strenuus laborator, precinctus ad operandum
in agro latissimo in quo manipuli tritice messis innumerabiles erant. Ex quibus
multitudinem copiosam iam in acervum magnum congesserat, reliquis vero qui multo
plures superant comportandis et coacervandis adhuc pertinaciter insistebat. Quod cum
vidisset, intellexit illico congruentiam illam manipulorum figuram tenere multitudinis fra-
trum quos idem egregius predicator quamdiu vixit in carne christo domino aggregaverat. Adhuc autem
restare innumeros, qui eius meritis et exemplis ad salvationis gratiam essent perducen-
di. Unde multum exultans, seque unum ex illis fore non desperans, Claramvallem
quam citius potuit adiit, postulans et impetrans se admitti. Qui dum ibidem novi-
cius esset, et beati viri memoriam pene incessanter atque insatiabiliter animo volveret, qua-
dam dominico die circa finem vigiliarum fatigato illi et modis pluribus afflicto, cepit
obrepere sopor. Et ecce apparuit ei idem dei famulus, dignanter eum alloquens et mo-
nens de dirigenda ad eum iugiter intentione cum cottidiana lacrimarum effusione.
Quod si faceret, divinam miserationem et suam ipsius visitationem securius expectaret. Et cum
ista dixisset, recepit se in tumulum suum corpus ubi positum erat. Que videlicet re-
receptio ita evidens fuit, ut frater ille nesciret utrum dormitans an vigilans hoc
dulcem vidisset. Cumque aperuisset oculos et piissimi patris ammonitionem dulci recordatione